

Ex del. Al. me. uenca

DELIBATIO

AFRICANÆ HISTO-

RIÆ ECCLESIASTICÆ,

SIVE

Optati Mileuitani libri VII. ad Parmenianum de Schismate Donatistarum.

Victoris Vticensis libri III. de Persecutione Vandalica in Africa,

Cum annotationibus ex Fr. Baldوينi I. C. Commentariis rerum Ecclesiasticarum.

Diego de Azagosa y Andra

PARISIIS,

Apud Claudium Fremy, via Iacobæ, sub diui Martini insigni.

1569.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



FR. BALDVINVS, CASPA-
RO BARCHINO I. C.

*& causarum criminalium Iudici
Mediolanensi, viro Clariss.*

S. I. D.



CEPI hisce diebus
literas ad me tuas, qui-
bus me valde hortaris
ad edendos historiae
Ecclesiasticae Cōmen-
tarios, quorum ais in
Italia magnam, prædicatione tua, expe-
ctationem cōcitatum esse. Ego verò mi
Barchine vereor, ne, si velim quidem,
præstare, quod pro me nimium liberali-
ter spondidisti, facile possim: & tamen si
in te amem & agnoscam illam, quæ pau-
corum est huius ordinis Iurisconsulto-
rum, cordatam constantemque pietatē:
tamen vide, ne amor erga me tuus offi-
ciat luminibus iudicij tui de studiis no-
stris: qui quidem in hoc genere multò
plus mihi fortasse tribuis, quàm agno-
scere ipse possim: præsertim cùm in li-
teris tuis confirmes, sponfionem illam

I

OPTATI AFRI, MILEVITANI

EPISCOPI,

DE

SCHISMATE DO-

natistarum, aduersus Par-

menianum,

LIBER PRIMVS.



Vinctos nos Christianos, charissimi fratres, omnipotenti Deo fides vna commendat. Cuius fidei pars est, credere Filium Dei, Deum, iudicem sæculi esse venturum, cum qui iam pridem venerat, & secundum hominem suum, per Mariam virginem natus est, passus, mortuus & sepultus, resurrexit: Et antequam in cælum ascenderet, (vnde descenderat) Christianis nobis omnibus suam per Apostolos pacem dereliquit. Quam ne videretur solis Apostolis dimisisse, ideo ait, *Quod vni ex vobis dico, omnibus dico.* Deinde ait, *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis.* Sic igitur pax Christianis omnibus data est. quam rem Dei esse constat, cum dicit, *meam*: Cum autem dicit, *do vobis*, non solum suam voluit esse, sed & vniuersorum in se credentiũ.

A

EPISCOPI VTICENSIS, LIB. III.

DE VANDALICA PERSECUTIONE in Africa, quæ Ecclesiastica historiae pars minimè
Vulgaris est.



SEXAGESIMVS nunc vt clarum est, agitur annus, ex quo populus ille crudelis ac sæuus Vandalicæ gentis Africæ miserabilis attigit fines, transuadens facili transitu per angustias maris, quâ inter Hispaniam Africamq; æquor hoc magnum & spaciosum bis senis millibus, angusto se milite coartauit. Transiens igitur quantitas vniuersa calliditate Geiserici ducis, vt famam terribilem suæ faceret gentis, ilico statuit omnem multitudinem numerari vsq; ad illam diem, quam huic luci vterus profuderat ventris. Qui reperti sunt senes, iuuenes, paruuli, serui vel domini octaginta millia numerati. Quæ opinio diulgata vsque in hodiernum à nescientibus armatorum tantus numerus æstimatur, cum sit nunc exiguus & infirmus. Inuenientes igitur pacatam quietamq;